

constituit, quia jam invenit constitutam speciem in genere mali ratione objecti. Si autem non invenisset constitutam in ratione mali, sed vel indifferentem, aut bonam, tunc quia malus ille finis destrueret bonitatem, et determinaret indifferentiam, daret primam speciem mali illi actui, et transiret in conditionem, et officium objecti ille finis, vel circumstantia, ut sequenti disputatione dicemus.

LXXXVIII. Ad confirmationem respondetur jam nos supra disputatione præcedenti explicasse mentem sancti doctoris in his quæ dicit illo articulo septimo Breviter dicimus quod in primo vocat D. Thomas illas species disparatas, et per accidens attempta natura actus secundum se, et specificatione ejus ex objecto, quia per accidens se habet ad talem actum talis finis, verbi gratia ad furtum mœchia, quia potest illi abesse. Non tamen disparate se habent, id est, sine aliqua subordinatione attempta intentione operantis, eo quod vult operans talem actum ex motivo talis finis habere, et sic facit hunc finem circumstantiam illius actus, et motive seu directive subicit illum actum illi fini; constitutive autem, seu specificative habet speciem ex objecto, et accidentalem circumstantiam ex fine: et sic est ratio cur ista species magis, quam altera essentialis sit, nempe quia ista est ex objecto, quod est principium specificans, et constituens, alia vero ex fine, qui solum est movens, et finalizans, non specificans. In secundo autem casu non sentit D. Thomas unam speciem contineri sub alia, aut determinare aliam, sicut species sub genere prædicabili, et logico, sed sicut sub genere morali in causando, et movendo, sic enim aliqua species ex objecto per se subordinatur alicui fini, ut per se moventi, et finalizanti talem actum, et

sic determinat illam speciem ex fine non determinatione prædicationis, et per modum formalis rationis, sed determinatione directionis, et motionis, seu imperii. Tum, quia dicit D. Thomas quod una species continetur sub alia, et determinat aliam; utraque ergo dat speciem, et sic non determinantur modo prædicabili; tum, quia genus in moralibus illius speciei est bonitas, vel malitia in communi, quæ contrahitur per species, et genus bonitatis est moralitas in communi, non autem species ex fine genus prædicabile est respectu speciei ex objecto, seu ex mediis; tum, quia dicit D. Thomas in illo articulo quod voluntas cujus objectum est finis est universale motivum respectu omnium potentiarum animæ, quarum propria objecta sunt objecta particularium actuum; ergo comparatur finis ad objecta actuum, sicut objectum illius potentie moventis ad objectum potentie motæ; ergo non se habet, ut prædicatum genericum in prædicando, sed ut motivum, et causa universalior in movendo.

ARTICULUS VI.

Utrum dentur actus indifferentes in specie morali?

I. Consulto ponimus in titulo, an dentur actus indifferentes in specie, et linea morali: nam quod actus in linea, et ordine naturali habeant indifferentiam ad bonum et malum, et ad totum moralitatis genus sive in hac, sive in illa specie, dubitari non potest. Nam præter actus indeliberatos, quos constat, nec bonos, nec malos esse ex se, etiam loquendo de entitate actuum liberorum constat, et supra sæpius dictitatum est, actus morales ita naturalem entitatem vindicare sibi, quod in illa

moralitas fundatur, et quasi pro subjecto eam habet. De se, ergo naturalis entitas actus capax est moralitatis et sic indifferentiam quamdam habet, ut recipiat illam, sicut quantitas recipit colorem, et sicut lignum, aut æs artificialem formam. Et dicitur indifferentiam habere, quia etsi idem numero actus non possit mutari de bono in malum inferior actus sit, et a voluntate immediate elicitus (ut supra diximus) eo quod respectus moralitatis conaturalizatur entitati ipsi, et cum ea nascitur, nec deponi potest, nisi nova elicentia actus fiat, tamen dicitur actus ipse etiam interior indifferens ex suo genere, vel specie naturali, verbi gratia actus amoris, vel desiderii, aut odii, ut malus sit, aut bonus, esto postquam jam productus est cum tali determinata moralitate non possit illam mutare, nisi nova elicentia, atque adeo nova entitate actus producta. Hanc ergo indifferentiam naturalem ex parte entitatis actus dari non dubitamus, neque hoc vertitur in quæstionem, sed supponitur. Nec similiter dubitamus dari aliquos actus indifferentes, seu medios inter meritum, et demeritorium loquendo de merito supernaturali, quia ad hoc requiritur charitas, et sic in peccatore potest esse actus bonus moraliter qui non est demeritorius, nec tamen meritorius est vitæ æternæ.

II. Difficultas est in duobus. Primum, an ultra istam indifferentiam naturalem, et entitativam in ipso actu, detur indifferentia, quæ sit species quædam moralis conditiva contra speciem mali, et boni moralis. Et est differentia inter naturalem, et moralem indifferentiam, quod naturalis sumitur quasi ex subjecto, id est, ex ipsa entitate actus, quatenus subjectum est capax, et susceptivum moralitatis, seu regulationis passivæ. Moralitas autem in-

differentia debet sumi ex objecto, quatenus etiam ipsum objectum in quantum indifferens attingitur a lege, et a ratione, quæ de ipsamet indifferentia objecti disponit. Constat enim dari actus, qui attendendo præcise ad objectum non habent inde neque moralitatem bonam neque malam, sed indifferenter se habent, ut bene vel male fiant, ut ire in campum de se neque est malum, neque bonum, sed potest et bene, et male fieri juxta finem quam quis præposuerit illi actui, et sic de se solum habent capacitatem ad bonum, vel malum ex fine, et circumstantiis, in se autem, et ex objecto solum indifferentiam habent. Quærimus ergo, an ista indifferentia sit etiam per legem regulata, et sic feratur voluntas in illud objectum, quia indifferens est etiam ut subjectum ordinationi, et regulis rationis, et consequenter sub hac ratione etiam morale aliquid sit, et ad lineam moralitatis pertineat prout indifferens, sicque etiam suam constituat speciem in illa linea, et ordine morali.

III. Secundo est difficultas, dato quod ista indifferentia sit species moralis, et non sit indifferentia pure entitativa, et naturalis, an sit species positiva, et sub positivo ordine constituta; an solum negativa, scilicet status quidam capax boni, vel mali, utroque tamen carens.

INDIFFERENTIA EST SPECIES MORALITATIS.

IV. Circa primum ergo dubium, aliqui sentiunt hanc indifferentiam de qua, et præsentim agimus, quando dicimus dari actus indifferentes ex objecto, non esse indifferentiam moralem, neque in ordine, et linea morali constitui, sed tantum pertinere ad genus naturæ in actu indifferen-

ti, quatenus natura actus illius est capax recipiendi moralitatem, sive in bonum, sive in malum, et sic non agnoscit hanc indifferentiam tamquam speciem moralem particularem. Ita sentit Lorea hic disp. xxix, dubio ultimo; Curiel super articulum viii hujus quæstionis xviii, dubio unico, conclus. i, et alii. Quorum fundamenta statim adducemus.

V. Omitto aliquorum sententia, qui dicebant omnem actum ex objecto, et specie sua esse indifferentem, solum autem ex fine esse bonum, vel malum, de quo videndus est S. Thomas quæst. ii de malo, art. iv, et Magister in secundo, dist. xl. Sed hoc nullo modo admitti potest, cum constet aliquos actus ex sola parte objecti consideratos, et non ex aliquo fine extrinseco esse malos, ut blasphemia, infidelitas, odium Dei, et alii similes.

VI. Sunt etiam aliqui Scotistæ, qui ex alio fundamento volunt omnem actum liberum ex sua specie esse bonum, vel malum, idque volunt attribuere Scoto in secundo, distinct. vii, §. Ad solutionem, littera F, ubi dicit bonum et malum ex genere esse contraria immediata, quia actus necessario transit circa objectum, et illud necessario est conveniens, vel disconveniens actui, et ita necessario actus bonus ex genere ex objecto conveniens, vel malus ex genere ex objecto disconveniens. Qui locus satis difficilis est apud Scotum, et ideo in illam sententiam aliquos adduxit, ut tenerent omnem actum liberum ferri super objectum bonum vel malum, conveniens vel disconveniens, quod est ex specie sua esse bonum, vel malum.

VII. Nihilominus opposita sententia, scilicet dari indifferentiam, quæ sit vera species moralis, et quod non solum ratione naturalis entitatis susceptivæ moralitatis, sed

ratione etiam ipsius moralitatis datur aliqui actus ex specie sua morali indifferentes, non solum est communior inter theologos, sed etiam conformior D. Thomæ. Videantur de illa communiter Thomistæ ad quæstionem istam xviii, artic. viii: ibi Cajetanus, Conradus, Medina, et alii; Montesinos disp. xxv, quæst. i; Vazquez disp. lii, cap. ii; Suarez disput. ix, sect. i. Eamque attribuunt Scoto plures ex Scotistis, quia in secundo, distinct. xli, littera C dicit, esse multos actus indifferentes non tantum secundum esse, quod habent in specie naturæ, sed etiam secundum esse, quod habent in esse morali. Quod non potest intelligi, nisi de indifferentia secundum speciem: nam in individuo postea docet multos actus singulares indifferentes elici. Et qui indifferentiam in singulari actu ponit, quomodo negabit in specie?

VIII. De D. Thoma non potest negari quod agnoverit indifferentiam moralem. Nam in hac quæstione xviii, art. ix, docet: « Quod omnis actus hominis a deliberativa ratione procedens in individuo, vel est bonus, vel est malus. Si autem non procedit a deliberativa ratione, sed ex quadam imaginatione, sicut cum aliquis fricat barbam, vel movet manum, aut lapidem, talis actus non est proprie loquendo moralis, vel humanus, cum hoc habeat actus a ratione, et sic erit indifferens, quasi extra genus moralium actuum existens. » Ergo a contrario sensu quando est a ratione deliberata procedens, erit indifferens non extra genus actuum moralium existens, sed in genere morali. Agnoscit autem D. Thomas actus indifferentes a ratione procedentes, ut docuerat articulo octavo precedente: ergo illa indifferentia non est extra genus moralium actuum.

IX. Item infra quæst. xcii, art.

ii dicit: « Quod lex habet tres actus, scilicet prohibere, præcipere, et permittere. Sunt autem tres differentie actuum humanorum. Quidam sunt boni ex genere suo, et respectu horum ponitur legis actus præcipere, seu imperare. Quidam vero sunt actus mali ex genere, sicut actus vitiosi, et respectu horum lex habet prohibere. Quidam vero ex genere suo sunt actus indifferentes, et respectu horum lex habet permittere. » Ubi S. Thomas omnes has differentias actuum humanorum, ergo moralium; ergo indifferentia sub genere actus moralis continetur. Similiter circa indifferentiam datur actus legis, lex autem est regula moralis, ergo etiam subicitur indifferentia legi permissive; ergo talis indifferentia ad ordinem moralem pertinet, quia sub dispositione regulæ, et legis est. Licet enim lex solum permittat, et hoc quod est permittere, videtur esse non operari, tamen revera aliqua regulatio moralis est, quia cum posset lex prohibere, et stringere præcepto, non facit, sed liberum relinquit; ergo aliquo modo regulat, ut scilicet non sit ei in malum. Itaque cum lex advertit, et non prohibet, nec præcipit, sed liberum dimittit, jam hoc est disponere, ac regulare illud, scilicet permissive, et non onerando, neque aggravando.

X. Ratio et fundamentum est, quia circa objectum indifferens, hoc est, non præceptum, neque prohibitum a lege potest procedere actus deliberatus a ratione, etiam quatenus attingit tale objectum sub illa indifferentia: ergo talis actus habet ex illo indifferenti objecto speciem moralem. Consequentia patet, quia omnis actus liber, et a ratione deliberata procedens debet pertinere ad genus morale, si quidem hoc ipso quod deliberatus est procedit a ratione, hoc enim est deliberatum es-

se, scilicet a ratione deliberante procedere. Quod autem a ratione procedit, etiam a ratione regulari potest, nec enim potest aliquid a ratione procedere, de quo non possit ratio judicare, et regulare, seu mensurare talem actum sub quacumque ratione a se procedat. Ergo quicumque actus deliberatus, etiam regulabilis est ipsius rationis regulis, et dictamine, ac iudicio; nec enim aliter a ratione procedit actus, quam mediante dictamine, et iudicio, et regulatione. Antecedens vero probatur, quia hoc objectum indifferens, verbi gratia ire in campum, levare festucam, movere lapidem, potest esse volitum, et prosecutum a voluntate cum plena advertentia, et iudicio; ergo cum deliberatione, nec enim amplius requiritur ad deliberate volendum, vel agendum, quam operari cum plena advertentia, et iudicio, et cum examine, et consilio ejus, quod agendum est. Ergo si datur advertentia, et iudicium, et dictamen circa objectum quod indifferens apparet, et de se, atque ex vi objecti sine ulla bonitate, et malitia conspicitur, jam actus deliberatus, et a ratione procedens attingit objectum indifferens; ergo prout sic indifferens moralem speciem præbet, quia regulis et iudicio rationis deliberantis attingitur: hoc autem est sub moralitate tangi.

XI. Dices: Hanc rationem, aut nihil, aut nimis probare. Nam etsi consilium, et ratio, et dictamen attingant objectum indifferens, tamen quatenus indifferens, nihil circa illud ordinant, sed omittitur, et solum ex fine, aut circumstantiis adjunctis regulatur illud in bonum, aut malum. Quod si probamus ex iudicio, et consilio, quod objectum indifferens attingimus, illud esse morale, et regulatum regulis rationis, atque non solum illud omittere,

sed etiam regulare, et positive moralizare, sequitur quod possit inveniri indifferentia moralis in individuo, quod nos sequenti articulo negamus. Sequela probatur, quia omne consilium, et iudicium, et dictamen fit a nobis in individuo, et prout hic et nunc, ergo si ideo objectum indifferens est morale, quia de illo in quantum indifferens est ratio, et consilium, et iudicium deliberat, et istud iudicium, et ratio procedit in singulari, et individuo etiam prout attingit illud objectum indifferens, oportet quod etiam in individuo indifferens sit, quia ab individuo, et singulari dictamine, et iudicio attingitur.

XII. Respondetur quod ratio, et iudicium prout attingunt objectum indifferens nihil ordinant circa illud prohibendo, aut præcipiendo, et bonum, vel malum advertendo, sed solum permittendo, et tamquam liberum ab obligatione boni, vel mali attingendo. Hoc autem non est pure ommittere, hoc est ab omni moralitate absolvere, et quasi extra totum genus moralitatis relinquere, sed est ommittere prohibitionem, vel præceptum circa tale objectum, et solum liberare a bonitate, et malitia, et ab onere præcepti, vel prohibitionis, cum capacitate ut bene, vel male fiat ex circumstantiis, in quo differt a rebus, quæ solum possunt cadere sub consilio, et non sub præcepto, quia superiora bona sunt, hæc enim etiam relinquuntur libera a præcepto, sed non cum capacitate, ut male fiant, quia intrinsece in se bona sunt, imo excellenter bona, et sic non manent indifferentia. Illa autem, quæ sic permittuntur a lege, vel ratione, ut relinquuntur cum capacitate, ut bene, vel male fiant, indifferentia manent, et illa indifferentia moralis est, quia a lege permissa advertenter, cum possit præcipi, aut vetari. Et ita non

totaliter omittitur a lege, sed advertitur, et permittitur. Posset autem prohiberi, aut præcipi, quia posset sic ordinari ille actus per legem positivam ad aliquem finem, sicut Deus prohibuit Adamo esum ligni, quem posset non prohibere et de se erat indifferens. Quare si lex non prohibet, nec præcipit cum posset, et advertat, non totaliter omittit, ita ut relinquat solum in genere naturæ, sed permittit cum capacitate ad bonum, vel malum. Quid sit autem hæc capacitas moralis ultra capacitem actus ex sua natura, et quid ponat hæc permissio, sequenti conclusione dicemus.

XIII. Ad secundam instantiam negamus sequelam. Ad probationem dicitur, quod iudicium, et consilium procedunt in individuo, etiam prout attingunt objectum indifferens, distinguo; prout attingunt illud præcise, et solum ex vi objecti, nego; prout attingunt illud vestitum circumstantiis, a quibus dependet hic et nunc, concedo. Itaque licet actio singularis attingat totum illud, et objectum, et circumstantias, et sic considerata adæquate tam cum objecto, quam cum circumstantiis non possit se expedire a bono, vel malo, tamen inadæquate considerata prout attingit præcise objectum, ex hac parte indifferens est. Non enim repugnat eandem singularem actionem considerari adæquate, vel inadæquate, sub aliqua præcise formalitate, vel absolute, sicut actio prout attingit hominem præcise, nec album facit, nec nigrum, neque coloratum, tamen absolute, et in re non potest ab omni colore præcise. Sic iudicium, et dictamen, et ratio attingunt in singulari objectum indifferens, sed inadæquate, et ut præcise objectum est, nude et secundum se consideratum; absolute autem, et adæquate etiam circumstantias attingit, quæ alias

transeunt in conditionem objecti, et sic a bono, vel malo abstrahere non potest. Et quia ex objecto sumitur species in moralibus, idem est ex objecto præcise considerato habere indifferentiam, atque ex specie sua actum esse indifferentem.

INDIFFERENTIA MORALIS EST SPECIES INCOMPLETA, ET STATUS QUIDAM TENDENTIÆ AD BONUM, VEL MALUM.

XIV. Circa secundum punctum supra positum, an species ista indifferentiæ sit positiva, vel negativa completa, et constitutiva adæquate alicujus speciei in se perfectæ; an solum incompleta quædam species, et imperfecta, et quasi via, et tendentia ad perfectas species boni, vel mali; et si ita est, ad quid sit necessaria hujusmodi imperfecta species moralis, si quidem ad suscipiendam speciem perfectam boni, vel mali, sufficit ipsa natura actus, non aliqua superaddita species moralis existit.

XV. In hac ergo patet, quia sentiunt posse dari actus indifferentes in individuo, vel manendo in pura indifferentia, vel simul cum aliis circumstantiis bonis, vel malis conservata tamen, et non destructa ipsa indifferentia in individuo, consequenter tenere debent, quod indifferentia ista est completa, et perfecta species, id est, reperibilis in re. Illam enim vocamus speciem completam, et perfectam, quæ talis est, ut in re et de facto inveniri possit, quod enim est capax existentiæ sufficienter completum est in suo genere, aut perfectum, licet comparatione ad aliud imperfectius sit. In hac autem sententia conveniunt omnes, qui sentiunt cum Scoto dari actus indifferentes in individuo.

Secundo accedunt alii, qui licet cum S. Thoma sentiant, non dari actum indifferentem in individuo denudatum ab omni specie boni, vel mali, tamen sentiunt, quod quando vestitur species illa indifferentiæ istis circumstantiis, non tollitur, sed remanet indifferentia ex objecto in ipsomet actu, adjectis tamen circumstantiis boni, vel mali, quæ illam speciem indifferentiæ non destruunt, sed conservant. Et quod D. Thomas solum negavit non dari in re actum indifferentem in individuo denudatum omni circumstantia boni, vel mali, adjectis autem istis circumstantiis, manere illam speciem indifferentiæ in actu individuo non negavit. Ita sentiunt aliqui sic interpretantes doctrinam S. Thomæ.

XVI. Alii existimant illam speciem indifferentiæ ex objecto, quam D. Thomas fatetur, et quam negat dari in individuo, esse quamdam speciem quasi negativam, et incompletam, id est, ex se nec bonam, nec malam, capacem tamen ex aliquo fine adjuncto tam boni, quam mali. Itaque est id, quod mediante fine potest reddi malum, aut bonum, non immediate in se est tale, sicut apud nos materia prima est ens mediate capax existentiæ, id est, mediante forma, non immediate. Et quidem aliqui vocant istam speciem indifferentiæ negativam, ut Montanos disp. xxv, quæst. 1; Lorca disp. xxix, dubio ultimo; Corneio tract. vi, disp. vi, dub. iii; alii positivam, ut Suarez disp. iv, sect. 1; Vazquez disp. lxx, cap. ii, num. xxi, et alii.

XVII. Nostra resolutio est, indifferentiam moralem non esse speciem aliquam perfectam, et completam actus moralis, ita quod bonitas, aut malitia illi adveniens se habeat ut circumstantia, seu accidens talis speciei constitutæ in ratione indif-